AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCEPTANDA IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. DIE MERCVRII XXIV MARTII. M. ROBERTO LE SECQ DOCTORE MEDICO MODERATORE.

699

An ſenibus Excercitatio.



VLLVM eſt animal genitum, quod ſenio, & corruptioni non ſit obnoxium. Illud arte Medica retardari poteſt, nullatenus tamē euitari: ſua cuique μοῖρα πεπρωμένη; Calor innatus, qui nos generauit, nutriuit, & auxit, tandem & demolitur: Et qui primis ortus noſtri principijs benignus & humidus fuerat, frigidus & ſiccus euadit. Illius per ætates, & anni tempora maxima fit mutatio: pueritia calida humida; frigida ſicca ſenectus; hæc morbus non eſt. Sanitatis eſt ampla latitudo. Somnum liberaliorem, & dulcia pocula bacchi ſectentur ſenes: Venus, hyems, curæ, mœrores, vigiliæ illis inimiciſſimæ. Rarius tentantur morbis acutis, ſed qui his accidunt, maximè comitantur ad mortem; nec febres ijs, vt in pueris ſimiliter acutæ, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα αὐτῶν.



ORPORA excrementorum prouentu abundantia deteriori valetudine fruuntur; Nec non qui natura valde craſſi, torpidi, ſegnes, qui nullis ſeſe corporis motibus exercent. Animata quæque principium in ſe motus & quietis habent; Nihil obſtat, quod aliquid primò & per ſe à ſeipſo moueri poſſit. Motus vehementior calorem excitat, qui aliàs paucus, debilis, & à nimia pituitæ copia oppreſſus in corpore, varijs membrorum motibus, ſe ſe promit, adauget, & functiones melius perficit. Motuum velocitas gracile, muſculoſum, durum, compactum, vegetúmque corpus reddit; tarditas contrà languidum, & imbecille. Nemini autem dubium eſt, quòd ea, quæ calorem innatum excitant, conſeruant, & augent vtiliſſima non ſint; quò enim calor vegetior, eò & vita fœlicior.



TQVI exercitatio calorem auget, coctionem iuuat, ſanguinem attenuat, ſpiritus naturales, vitales, & animales, ſpecie diſtinctos calefacit, multa corpus exſiccat, mediocris obeſum præſtat: Caue ne hanc à cibo ſtatim adeas: vt calidis natura, & bilioſis nocet, ſic frigidis & pituitoſis confert. In imbecillibus, neceſſe exercere potentibus frictio vicem exercitationis tenet; ſi ſit mollis, partes etiam corporis emollit, totum habitum laxat, tertiæ coctionis excrementa eluit; Verùm multa corpus attenuat & macilentum reddit, mediocris mediocrem, bonùmque habitum inducit. Ceſſet autem exerceri quis, cum totum corpus æquabiliter intumeſcit, color in vultu floridus ſplendeſcit, & ſudor vapore calido mixtus ſingulas partes perfundit.



ERE diuinus cecinit Hippocrates ἄσκησις ὑγιείας, ἀοκνίη πόνων. Quies eſt ceſſatio motus. Nimia morbos affert quamplurimos, eóſque ſæpe frigidos; ſenibus quidem difficultates reſpirandi, diſtillationes cum tuſſi, vrinæ ſtillicidia, articulorum dolores, Nephritides, Vertigines, apoplexias, prauum corporis habitum, pruritum, oculorum, & narium humiditates, ἀμβλυωπίας, γλαυκώσιας, βαρυκοΐας. Senes ſunt meticuloſi, melancholici (qui & omnium prudentiſſimi) memoriæ parum firmæ, pituitam & excrementa multa congerunt, crudos & incoctos ſuccos gignunt: Purgandi ſæpe blandis phlegmagogis, decocto vel infuſo foliorum orientalium, catholico, hiera picra, enematis emollientibus, detergentibus, craſſam pituitam incidentibus, ſpecificè partes roborantibus, vt chicoraceis hepar, betonica cerebrum, alkekengi renes, pulmonaria partes reſpirabiles; vitando ea, quæ tota ſubſtantia partes ipſas lædunt, & exulcerant.



VARE prudens Medicus & γηροκόμος quidquid ad ſenum ſanitatem & conſeruationem conducet, diligenter explorabit: Alimenta itaque εὔπεπτα, καὶ εὔχυμα crebrò, ſed parca manu ijs exhibebit, vt aues montanas paluſtribus præferendas. A piſcibus præterquam ſaxatilibus abſtineant: Mel & ſalita illis conducunt; necnon vinum calidum & humidum. Sed cum exercitatio inter cauſas ſanitatis conſeruatrices præcipuè numeretur, ſenum omne corpus imbecillum, nec potens alimenti multum attrahere, eóque probè nutriri (ſi ſit moderata) fouebit, robur vitale iuuabit, ſenſus & facultates ſopitas excitabit, diſtributionem cibi validiorem promptiorémque efficiet: vide tamen, ne dum fit aut cruditas adſit in ventriculo, aut incoctum alimentum; id ex vrinis & fœcibus certò ſcies.

Ergo ſenibus Exercitatio. 146



Proponebat Lutetiæ IOANNES BONIER Molinenſis, Anno M. DC.XXVII.